

August Varenius

**Augustus Varenius, D. h.t. Coll. Theol. Decanus, & Acad. Rostoch. Rector, Ad
Conditoris Thronorum Jesu Christi, quem adorant Throni, imo omnes Angeli Dei,
devotissimam humilimamq[ue] venerationem, & Angelici Ministerii reciprociq[ue]
pro impetranda servandaq[ue] Angelorum tutela custodiaq[ue], Piorum Officii
reverentem Meditationem. Omnes Academiae Cives provocat. in ipso sacro
solemniq[ue] memoriali Michaelis Archangeli Anno cl Ic LXV.**

Rostochi[i]: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735661707>

Druck Freier  Zugang



18.
99.
AUGUSTUS VARENIUS, D.

h. t. Coll. Theol. Decanus, & Acad. Rostoch.

RECTOR,

Ad

CONDITORIS
THRONORUM

JESU CHRISTI,

quem adorant THRONI, imò omnes

Angeli Dei,

devotissimam humilimamq; venerationem,

&

ANGELICI MINISTERII

reciprociqu; pro impetrandâ servandâq; An-

gelorum tutela custodiaq;

PIORUM OFFICII

reverentem Meditationem.

Omnes Academiae Cives provocat.

in ipso sacro solemniqu; memoriali

MICHAELIS ARCHANGELI

ANNO c^o l^o c^o LXV.

ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS, KILII, Academiae Typographi.



Emorable planè, reverendumq; Majestatis spectaculum vel ostentum fuit, quod in agro suburbano Jerichuntino, tempore Paschali, cujus solemni die primo cessaverat cœlum pluere Manna, jam scilicet in fluentem melle pariter ac lacte terram, per seclum miraculo, transitumq; Jordanem, immisissis Israelitis, sibi nec opinanti oblatum, sanctissimus Imperatorum Jhosua, prout humilimè admisit: ita reverenter in authentico suorum temporum Rationario libroq; Synonymo descripsit (c. V. 13. 14. 15. c. VI, 2, 3.) Jam sub generalissimo Mose potentissimorum cis Jordanē Regum par truculentū miserat ad inferos. Jam post admirabile funus, & sepulturam Mosis insepultam, exploratis trans fluvium Cananæorum animis, Jordanem siccus trajecerat, jam ingentia castra in conspectu formidandorum Regum juxta quatuor cœli cardines, ex præscriptâ summi DEI lege distribuerat, jam fulgidissima in 4. castris vexilla non procul Jerichunte explicuerat, jam utriusqve Sacramenti religionem universæ genti indictam præmiserat, quando de ratione capiendæ Jerichuntis sollicitus, Deumq; magnis precibus de Consilio interpellaturus, extra prætorium, castrorumve spatia paululum meditabundus processit. Non averfa adeo gestabat pectora Ducum augustissimus JHOSUA, ut dememinisse posset, & exemplorum olim fortissimorum, & illius firmitati cœlestis, potenti triplicatoq; incremento verborum sibi novello nuper Duci, Mosis Successori, acclamati, (1) חֹק וְאִמָּץ i. e. *Esto fortis & firmus*, c. I. 6. (2) רַק חֹק וְאִמָּץ מְאֹד i. e. *Profusus esto fortis & firmus valde*. v. 7. (3) חֹק וְאִמָּץ אֵל תִּהְיֶה לְךָ אֵל הַעָרָא וְאֵל הַחָרָר i. e. *Esto fortis & firmus! Ne expavescito, nec animo frangitor!* v. 9. Insonabat adhuc auribus Jhosuæ cognomen INVICTI, privilegium omnipotentis Dei voce sibi confirmatum: *Non consistet quisquam adversus te omnibus diebus vitæ.* Aspiciebat præterea fulgidissima per campos Jerichuntinos, cum vexillis insignibus, explicata castra, robustissimisq; bellatoribus condensata agmina, si ex æquo mortaliumq; virtute res expediunda, satis

fatis apta Jerichunti expugnanda, quæcunqve tandem fuerint, & quantæcunqve altitudinis ac latitudinis mœnia, quibuscunqve tandem siue claustrorum machinis, vectibusq; in portis obserata, siue vigiliis excubiisque bellatorum septa vel munita. Sed nec ignorabat, quàm parùm penetrare virtus possit, & quàm non irrumperè in castella, nisi pietas vexillum præferat, & Deus ipse Antecessor eat. Constabat inprimis, miraculo potius, quàm ullis Bellatorum viribus peractum, quicquid in suo populo hæctenus præclarè gestum. Cœlum ipsum Israeli trans Jordanem militasse: nec Israellem sibi: sed Deum Israeli, prout ante annorum quadragenam mare: ita nunc ingens & tempore messis auctum rapidumq; maximè flumen aperuisse, transitusq; securos, ne ausis quidem hostibus armatis prohibere, vel ad amnè occurrere, procuravisse, quin hucusqve in ipsos Jerichuntis campos produxisse. Prospiciebat facilè prudentissimus Imperator, quantum interesset ad prima trans Jordanem cum propioribus Amorrhæis & remotioribus Cananæis prælia, & quàm, si quid in ipsis initiis triste, vel si qua à Deo offenso castrorum calamitas, tenuis etiam, metuenda, Israelitæ quidem animos omnes projecturi, hostes autem, etiam liquefactos olim ad rubri maris & nuper ad Jordanis divisi famam, essent induraturi, siue novos ab integro resumturi, totumq; adeo instar in primo: Tot ac tantis rebus anxius dum procedit Imperator Jhosua, non tam ab insolenti arrogantia, cujus nullum specimen in religiosissimo Duce videmus, avocare, quàm in ipso rerum trans Jordanem gerendarum initio, animum Principis augustissimi certâ fiduciâ confirmare, & arcanam admirabilemq; oppugnanda, quæ trans Jordanem prima objiciebatur, Jerichuntis editæ מגדל מגדל (juxta Chald. *foribus ferreis oclusa, & vectibus aeneis munita.* Juxta LXX. *συγκλεισμένης τῆς ὀχυρωμένης* vid. Jhos. VI.) rationem commonstrare simul ac explicare voluit, magni Consilii Angelus, evidenti argumento, non bellatorum siue virtute, siue prudenti stratagemate: sed solius immortalis Dei ope, consilio, nuru, præpotentiq; robore & illa DOMINI bella conficienda, & Imperiorum

Principatumq; ardua & difficilia gerenda esse. Dum ergò men-
 te quidem *in urbe Jerichunte*, de quâ capiendâ seriò tunc secum so-
 lus meditabatur, ipse autem ex stativis, quæ paucis stadiis abe-
 rant urbe, sive huic oppugnandæ locū oportunum speculaturus,
 sive obsidionē arctiorē in solitudine meditaturus, *in agrum subur-*
banum subjectamve Regiæ urbi planitiē exspatiatur, *dum oculos at-*
tollit, ecce derepente, nec opinanti adest lætus Jhosuæ nuntius, ad-
 est belli inchoandi præmonstrator pariter & confector, fluctuan-
 tes rerum gerendarum difficultate Jhosuæ animos sedaturus con-
 firmaturusq;. Simul sc. oculos sustulit, *Ecce!* vero schemate, non
 falsâ specie, *Vir, stetit ex adverso ei.* Stetit, & ut Dei potentiam, o-
 portunamq; apud Jhosuam, cui perpetuò inter medios hostes erat
 versandum, præsentiam, summumq; belli Imperatorem, cujus vir-
 tute, quod imminebat, bellum expediendum erat, repræsentaret,
nudato gladio armatus, s. bellator, *cui erat gladius strictus in manu.*
 Sed nec augusta Viri species, nec gladius flammivomus terrere
 Jhosuam potuit, quamdiu hîc bellatorem quidem Magnificum,
 mortali tamen conditione hominem præsumsit, quin, ut, Impera-
 tore dignos, fortes fidentesq; animos ostenderet, accessit impavi-
 dus, talibusq;, quæ planè sive pugnam, sive amicitiam decernerent,
 verbis ore rotundo percontatus, cujus esset partis, num suæ, num
 hostium? Utrum *Hebraeus*, utrum *Cananeus*? *הלו אתה אם לצררכו*
 i. e. *Utrum*, inquit, *nostrer es, an adversariorum nostrorum?* *ביסטו*
Freund oder Feind? Paulò aliter Chaldaeus: sed nec absurdè: *הל*
מסערנא אתה אם לבעלי דכבננו i. e. *An ad opitulandum venisti*
nobis, an hostibus nostris? Stetit hætenus armatus contra armatum
 Jhosua, & stetit quoque quando Fortissimum illum nudoq; gladio
 armatum bellatorem audivit ad utrumque quæstionis membrum
 pari brevitate, quis non esset, quod se nec homo *Hebraeus*, nec ho-
 stis *Cananeus*, unâ voculâ *הל* respondentem. Cæterum simul au-
 divit Bellatorem illum nudato gladio, *Quis revera esset*, explican-
 tem, suæq; Majestatis & præsentis apparitionis Oratorem: Non sum
 unus ex terrenis bellatoribus, sive in vestris, sive hostium castris.

Nata

Nam ego sum PRINCEPS EXERCITUS DOMINI, (Pulchrè Græci Interp. *Εγώ δεξιάστην* & *δουλεύωσ Κουβίς* i. e. Ego sum Princeps Exercitus potentiae Domini,) & adeò talis tantusq; existens, etsi tibi tuisq; castris, vel in ipsâ nubis glorioſæ columna jam olim & hucusq; eminentiori modo præſens, tamen in hoc visibili ſchemate nec inter tuos milites gladio materiali depugnaſti, nec tereno more militavi: sed *nunc*, vel, *modo veni*, de re ſingulari, de ratione inprimis capiendæ urbis Iericho te informaturus, pectusq; & contra diffidentiam, & contra arrogantiam in proſperissimo futurarum rerum cursu præmuniturus, ad hæc, inquam, magnifica verba, quibus *cælestis exercitus Imperator* sibi apud Jhoſuam autoritatem, jamq; exponendis expugnationis admirandæ consiliis fidem comparare voluit, subitâ animi formidine reverentiaq; tantæ majestatis percussus, *procidit Jhoſua super faciem suam in terram, & adoravit*, quin, ut promissimam ad parendum voluntatem ex divinæ magitudinis & humanæ parvitatæ contentione natam venerabundus significaret, *dixit ei: QUID DOMINUS MEUS LOQUITUR AD SERVUM SUUM?* Nondum princeps suæ legationis caput publicare voluit PRINCEPS EXERCITUS DEI: sed, pro ut fidem Jerichuntis expugnandæ confirmavit legitimando suam Oratoris scilicet *Principis exercitus Dei* personam: ita hunc ipsum Principatum, Principisq; cælestis Exercitus præsentiam persuadere pariter ac ad visionis magnificentiam dicendorumque veritatem certissimam attollere voluit autoritate mandati *calceamentorum, exuendorum, in loco illo, quem sola PRINCIPIS EXERCITUS DOMINI præsentia sanctificaret.* Igitur edixit PRINCEPS EXERCITUS יהוה Jhoſuæ: *Detrahe calceamentum à pedibus tuis, quia locus in quo stas, ipsa sanctitas est, i. e. maxime sanctus.* Dictum factum. Qui stratus humi ne suspicere quidem cælestem illum principem ausus, ut ostenderet *Principis exercitus DOMINI* gladio nudato victoriam universam attribuendam, nihil propriis imputandum viribus, imò fide certissimâ credenda,

quæ vanissimis somniis similia, videbantur potius negligenda
 (quale sanè quid erat ad circumeuntem otiosum novissimeq;
 conclamantem militem, urbis munitissimæ mœnia sponçe suâ
 ruore) *solvit extemplo calceû & extrahit*, quo facto Princeps orator
 arcanû belli Domini, *expugnanda* sc. per complusculos jam dies
 obsessæ, frustra; per aliquot oppugnationes fortè tentatæ *ur-*
bis Jerichuntis explicat, cujus hæc summa ex Jhosuâ ipso c. VI. 2.
 3. 4. 5. *Israëlita per dies septem, senis quidem diebus vicibus singulis: at,*
die septimo leptenis obsessam urbem circumeant. In his circuitiõibus,
arcam sacerdotes circumferant: eandem septem Sacerdotes buccinis con-
tinuò canentes precedant: reliqua turba, usq; dum ululandi signum
dabitur, taceant. Ubi in septimi diei circuitiõne septimâ, Sacerdotes
inflando buccinas consuetum clangorem excitabunt, cuncti pleno gutture
ad victoriã conclament. Simul sic ululabitur, vel ad triumphum con-
clamabitur, salva domo Rabab, et si mœnibus adhærente, muri concident,
Victoribusq; aditum in urbem patefacient. Fecit imperatum Jhosua,
 intimato tamen prius & apud Sacerdotes, & apud populum *cir-*
cumitionis mandato. Inde circumiverunt, *buccinis claxerunt*, tan-
 demq; conclamaverunt, & ruentibus ad *ingentem vociferationem*,
 muris irruerunt, totamq; civitatem unâ domo excepta, acie
 gladii internecioni devoverunt. Et ita habuit, quæ Jhosuæ
 sollicito desideratissima fuit **PRINCIPIS EXERCITUS DOMINI**
 in campo Jerichuntino illustris apparitio, quam magnificentio-
 rem facit, ipsius Personæ apparentis in *Viri bellatoris fulmineo*
gladio terribilis specie, religiosa consideratio, unde constare pot-
 erit, an fuerit merè *angelica*, an *verè divina ANGELI fœderis, vel,*
Angeli magni consilii, CHRISTI sc. & ad eò veri Jhosuæ seu **JESU**
Messie apud cognominem **JESUM** (quomodo Jhosua Græcis
 interpretibus *Ἰησοῦς* scribitur) s. Jhosuam, filium Nun, qui
 illum & nomine & rebus gestis adumbravit, *apparitio*? Sublimis
 sanè, planeq; Imperatorius titulus est **PRINCEPS EXER-**
CITUS DEI: cæterum ex quo non facilè contra Angelum crea-
 tum militare licebat, postquam vel ex uno Daniele constat,
 & in-

& inter militantes in palatio *cœlesti* sanctissimos Angelos, & inter Apostatas in Tartareo, etiam nunc dari *Principes* & *Principatus*, imò inter illos *Principatus* Angelicos dari *Principes primarios*, quorum unus idemq; facile primariorum primus MICHAEL, ille sc. Michael Archangelus, qui in *disputatione* cum Principe *Diabolorum* vehementissimâ de corpore *Mosis*, non ausus huic impingere notam *maledicti* dixit: *Increpet te Dominus!* vid. Epist. Jud. v. 9. quiq; contra *Diabolos Principes Persiæ & Græciæ* turbatores, se cum *Gabriele* confirmavit pro *Israele*, velut hujus *Princeps* vid. Dan. 10. 13. 21. Postquam constat inter ipsos *Angelorum choros*, dari gradus eminentiores, quorum respectu quidam nominentur *throni*, *Dominationes*, *Principes* (ut tamen quæ sub celeberrimo *Dionysii Areopagite* nomine de novem *choris Angelorum* quos inter *tertium* faciant *THRONI*, memorantur in *Pseudo-Dionysii de Hierarchiâ cœlesti libro*, scripto nec *Attico*, nec *Apostolico* pro *Areopagiticis* fabulis verius habeantur, parumq; convenient *Discipulo* illius *Apostoli*, qui raptus in tertium cœlum audivisse se dicit *ἀπόφασις* s. *inossabilia quæ non liceat homini eloqui* 2. Cor. XII. 4. sed & præter *Cajetanum*, *Vallam*, *Erasum*, & in *Photio* *Possevinum* *Bellarminus* ipse non tantum lubens concedat: *Dionysium Areopagitam* primò omnium à *Gregorio I.* citari, nec extitisse tempore *Ambrosii*, *Chrysostomi*, *Augustini*, & maxime *Hieronymi*, qui aded nec citaverint quicquam hujus *Dionysii*: sed & non esse certum, an quæ scripta nomen *Dionysii Areopagite* præ se ferunt, sint illius *Dionysii*, qui nihilominus in contraria currens ex ipso *Gregorio* persuadere voluit, *Auctorem* illum & esse longe illis patribus antiquiorem, & fuisse non *Apollinarem Hieropotitam* non ex seculo 2. *Dionysium Corinthium*: sed istum *Dionysium Areopagitam Pauli Discipulum*, cujus illustre nomen, in *Actis* c. 17, 33. vid. *Bell.* l. 2. de *Memb. eccl. milit.* c. 5. & lib. 2. de *Sacram. confirm.* c. 7.) Nec lamina fulminans sive naturæ sive excellentissimo repugnat *Angelorum ministerio*. Visi olim *Adamo* extorri *Paradisi* in *flammanis gladii lamina* coruscâ *Cherubini* *Gen.* III. 24. Visus *Davidi* *Angelus Domini*

המשחת

אֲמִירָה, certè candidus non ater, stans inter terram & cælum, stritum in Hierosolyma sua manu tenens gladium, ad quod in ingenti populariq; peste spectaculum & Rex ipsecum senioribus Israelis ciliciis involutus procidit, luculentâ voce confessus: EGO IS SUM QUI PECCAVI ET MALE FECI. HÆ OVES, QUID Fecerunt I. Chron. XXI. 16. 17. Sed nec Jhosua ad vocem PRINCIPIS exercitus, incurvatus, nec DOMINI sui, quo PRINCIPEM exercitus honoravit Jhosua totus in terram prostratus, titulus appositus, Angelicæ repugnat majestati, cum ad unius Gabrielis collocutoris præsentiam par deliquium Daniel sit expertus, se humilimum servum, Gabrielem sibi Dominum, confessus c. II. X. 18. 19. c. X. 8. 15. 16. 17. Nec pro Principe ex Angelorum choro, desunt magnæ autoritates, cum Chaldæus ipse Jhonathan hîc in v. 14. & 15. Principem illum exercitus DOMINI non aliter expresserit quàm מַלְאָכָא דְשָׁלְיָהּ מִן קַדְמֵי דֵי אַנְגֵּלֵי דֵי דֵי i. e. Angelum missum de coram DOMINO, & Augustinus pro Dei Filio hîc in questionibus super Jhos. 1. 6, non tantum non pronunciare ausus fuerit: sed & questionem sic formaverit, ut, non nisi merum Angelum, in quo Jhosua ipsum Angeli Dominum adorare potuerit, abs se intellectum, ipsâ dubii propositione satis ostenderit. Nec aliter Hieronymus vel Theodoretus, quibus & hîc & in Daniele intellectus MICHAEL Archangelus, unus ex principibus primariis seu nationalibus & basilicis Archangelis. vid. ille in Dan. c. X. & hîc in questionibus. Quin non alia mens Rabinorum per 6, ferè superiora secula, qui quidem & de hoc Jhosuæ & de illo Mosis Antecessore Angelo, in quo dicitur esse NOMEN DEI Exod. XXIII. 21. magnificè loquuntur, ita ut inter omnes Angelos illi dent primatum, imò appellent Metatron. i. e. per Gematriam מְטַטְרֹן seu Omnipotentem, negant tamen ipsum nomen יְהוָה esse in illo, negant habere auctoritatem peccata remittendi, solamq; concedunt potestatem delegatam rebelles puniendi vid. Raimundus in pug. fidei p. 394. 397. & seqq. Sed in viam redeundum. Omnino Bellator ille, quem fulminante gladio terribilem, ex adverso sibi,

sibi stantem in agro Jerichuntino Jhosua, quoniamq; merum hominem præsumsit, sustinuit, cui, simul *exercitus Domini* PRINCIPEM agnovit, percussus formidine, pronus reverentiæ causâ se prostravit, non ex *creatis Spiritibus cœlestibus*: sed *æternus Dei filius, Deus ipse, CHRISTUS Redemptor & fœderis Angelus*, jam olim in deserto abs Israelitis, quorum *comitabatur castra tentatus*, tam præsens tunc Jhosuæ, quàm vel Abrahamo olim ad quercetum Mamre, vel ad torrentem Jaboc, *Jacobo*, vel Mosi in ardente rubo fuit. Sit augustissimus inter *primos* seu *primarios Angelos* MICHAEL ARCHANGELUS: cedit tamen *agno*: tantumq; abest, ut PRINCIPIS EXERCITUS DOMINI magnificentissimos & Diabolorum Principi visos invidendos olim titulos sibi deponat, ut humilima veneratione, sub illo PRINCIPLE, unus de exercitu tanto Principi militante censerî gaudeat. Et nec alibi nomē hoc augustissimū nisi soli Deo adscribitur, nec illud ipsum solo Principatu in exercitum infernatem absolvitur: sed vel maximè includit supernatē. Nec enim exercitus ullus eximitur juri superioritatis illius, qui autoritate extra aleam fidei positâ in tanto castrorum Theatro potenti voce testatur: EGO SUM PRINCIPES EXERCITUS DOMINI, i. e. *Sum cœlestis exercitus, sum summus populi Dei Imperator, cuius nutu & iste, quas tu ducis copia & illi ipsi exercitus reguntur & gubernantur.* Sed & admittit adorationem hic PRINCEPS EXERCITUS DOMINI, & quidem à tanto Imperatore & Israelis militiæ Principe, non admissurus, si fuisset talis, qualis ille in Apocalypsi c. 19. 10. & c. 22. 9. cum nec ille fœderis Angelus, holocaustum sibi offerre vellet, nisi revelato Jud. XIII. 16. Dubitat sanè Drusius *an adoraverit civiliter, an eo modo quo Deus adoratur?* Masius quoq; hic miratur motum ab Augustino scrupulum, cui se prostraverit Jhosua, cum *inturbatio* illa fuerit *formidinis* potius, quàm *reverentiæ* signum, & vocabulum illud ambiguum ad *honorem*, quo vel Deum vel homines afficimus: planè ex more Orientalium, qui fuit, non soli Deo:

B

(sed

Sed etiam Angelis, & hominibus se prosternere honoris causâ. Quem morem (verba sunt Andreae Masii) homines illi adhuc observant, ut sæpe vidimus. Demittunt enim se pronos in terram, eamq; ubi ore attingerunt, rursus se erigunt, & semel iterumq; venerabundi salutantesq; incurvant corpora. Coeterum non opus erat incurvationis mentione, postquam præcesserat: Jhosua procidit super faciem suam in terram. Quis enim dubitat talem incurvatum? Fuerit adeo amplius quid incurvatione, & post tantam revelationem, religiosa adoratio, etsi non additur in fontibus, quem adoraverit, ut tamen dubium non sit, quod & fontium positus ostendit, eundem fuisse, quem adoraverit, & cui prostratus dixit: Quid Dominus dicit servo suo? Ut nec exinde, quod simpliciter dicitur וישתחו, probetur neminem adoratum. Omnino enim verbum illud, reducitur ad idem objectum signatum per ל' post ויאמר. Facit pro Federis Angelo, ipsa Jhosuæ humilima percontatio, & in illâ DOMINI & Servi reciprocatio, quam DOMINI etiam sub nomine יהוה intelligentiam ad solum Deum in Angelo præsentem referendam agnoscunt ipsi Judæorum Magistri, quibus in tali positu par est ratio אלהים & אלוהים, scilicet utrumq; Sacrum & summi Dei. Fuerit adeo hic Dominus Jhosuæ, qui eadem voce Dominus Davidis designatur Psal. CX. 1. Et sic hic JESUS Servus JESUM DOMINUM, prout David CHRISTUM sibi DOMINUM agnovit. Sed & non nisi præsentia angelica divina, qualis est ANGELI REDEMPTORIS INCREATI apparentis sanctificat locum, & adeo jubet extrahere calceamentum, ut hic non abs re Drusius expergefactus exclamaverit: Hic locus docet Principem exercitus Domini Deum verum fuisse, ut alia probatione non sit opus. Etsi fortissimè probat id, quod sequitur ipsum nomen יהוה quo jam designatur c. VI. 2. Ille PRINCES exercitus Dei Jesus sc. Orator apud Jesum, & ipse character, PRINCIPIS auctoritate propria ferunchuntem oclusam, ejusdemq; Regem, Cives omnes, & Heroas in manus Jhosua tradentis, & rationem belli præscribentis

scribeñtis c. VI. 3. 4. Oratoris *Ego trado in manum tuam Jerichan-*
tem conf. cætera, ut jam fas dubitare haut sit de hoc *Exercitus*
PRINCIPE & magni Consilii Angelo Oratore. Addantur his, quæ
 ex *Tanchuma* mysteriis nostris consentanea allegat in h. l. *ANDRE-*
AS MASIUS, & post illud *Medrasch* in *Pentateychem* idem ex
Ramban seu *R. Mos. Nachmanide Gerundenf. Hisp.* Ita in *Tan-*
chuma ad *Exod. XXIII. 20. Dicebat Deus Mosi:* Ecce ego mitto
Angelum antefaciem tuam. *At Moses respondebat:* Ego *Angelum*
nolo, sed teipsum volo. Porro *Josua Filius Nun, cum primum videret*
Angelum, dicebat: Nosterne es, an adversariorum nostrorum?
Tum ad eum Angelus: Ego, *inquiebat,* sum Princeps exercitus *Domini:*
 jam veni. *Ac si diceret:* Ego jam secundo adsum, ut *Israelitas in*
possessionem sua hereditatis ducam. Veneram enim, etiam cum *Moses*
Magister tuus Imperator esset: Sed ille, cum me videret, nolebat me se-
 cum ire: sed à se repulit. Hæc autem simul audisset *Josua,* procumbebat
 dicens: *Quid Dominus meus loquitur ad Servum suum?* Addit jam jam
 laudatus *Masius:* Hæc certè mihi visa sunt alludere ad *Judaici populi*
Ecclesiam, quæ de Mose Magistro se jactabat, & ad eò, quæ nunc à Jho-
sua h. e. à Jesu Christo regitur. Illa enim ablegatum ad se *Angelum*
Christum ut ipsi ad cælestem hereditatem patefaceret aditum, repudia-
 vit, imò urbe ejectum cruci affixit: Hæc verò, simul, cum ex doctrinâ,
 tum ex miraculis intellexisset eum à se, non ab adversario *Beelzebub* sta-
 re, adoravit, ejusq; jussa submissè atq; obedienter amplexata est. Ita
Gerundenfis ad *Exod. c. III. & XXXIII. 14. Angelus iste, qui à Mose*
in rubo visus est, si rem ipsam dicamus, est Angelus Redemptor, de quo
scriptum est: Quoniam nomen meum in ipso est (Exod. XXIII. 21.)
qui ad Jacob dicebat: Ego Deus Bethel (Gen. XI. 13.) vocatur autem
Angelus, quia mundum gubernat. Scriptum est enim: Eduxit nos
 מוֹשֶׁה ex *Ægypto (Deut. VI. 11.) & alibi: Misit מוֹשֶׁה Angelum, qui*
eduxit nos ex Ægypto (Num. XX. 6.) Præterea scriptum est: Et
ANGELUS FACIEI ejus salvos fecit ipsos, nimirum ille Angelus, quæ
est Dei facies, de quo dictum est: Facies mea præibit, & efficiam ut
quiescas (Exod. XXXIII. 14.) Deniq; ille Angelus est, de quo Vates.

Et subito veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quari-
tis, & Angelus fœderis, quem cupitis (Malach. III. 1.) Facies mea
præcedet (i. e. *Angelus fœderis, in quo videbitur facies mea, de quo
dictum est: Tempore accepto exaudiam te.*) Faciamq; ut quiescas
(Exod. XXXIII. 14.) i. e. *Efficiam, ut ipse tibi sit lenis & benignus, nec
ducat, per jus rigidum: sed placide & clementer.* Notat idem Ge-
rundenſis: *Mosen & Israelitas semper optavisse Angelum primum:
Ceterum, quis ille eſſet, verè intelligere non potuiſſe. Cum nec ab aliis per-
ciperent, nec notione Prophetica ſatis aſſequerentur.* Addit idem: *Facies
Dei ſignificat ipſum Deum, quod apud omnes interpretes eſt in conſeſſo.
Verùm, ne per ſomnium quidem iſta quisquam intelligere poſſit, niſi ſit in
myſteris Legis eruditus.* Addantur quæ de Angelo primo, de MI-
CHAEL Pontifice cœli gubernatore mundi, offerente preces ani-
masq; juſtorum Deo extant in vetuſtis Judæorum commentariis.
Atq; huic ANGELO Angelorum Conditori, univerſiq; cœleſtis
exercitus Imperatori ſolemne Sacrum nunc iteramus. Superſti-
tioſas ſacri, ipſiusq; Vulgati nominis origines, MICHAELIS Sipo-
ntinorum in Campaniâ Protectoris in Gargano apparitiones (unde
in Eccleſiâ Rom. VIII. Id. Maji feſtum triplicis apparitionis MI-
CHAELIS recolitur) revelatos boves, palliolum Archangeli ru-
ſum, dedicatum à MICHAELE hoc ipſo die in *Apulia monte, Garga-
ni vertice, Templum, propriis Angeli Principis miraculis illuſtratum, fide-
liumq; poſtea cultu celebratum* (quod ad annum Chriſti 494. refert
in annalibus Baronius, & à quâ *dedicatione* dies nomenq; feſto præ-
ſenti) ſectari perſcrutarive mittimus, vel illis relinqvimus, qui
ſpreto doctrinæ Angelicæ nucleo, malunt *βαλανοφαιῶν*, & Deo
mittente efficaciam erroris *mendacio potius credere quàm veritatem,
quâ ſalvi ſiant, recipere.* Oſtendunt illi annulos cohærentiæ ſuæ,
prout alibi cum aliis, & vel cum ipſis, quos ex Epiphanio in l. de
hær. ad quod vult Deum meminit Auguſtinus otioſis Evchitarum
Monachis, ita hic cum Coloffenſibus illis, & illis apud Auguſti-
num ANGELICIS hæreticis, ſummâq; injuriâ & Paulum maſtant,
quiſc. damnaverit veros Catholicos, Coloff. c. 2, 18. & Epiphani-
um,

um, qui testabatur *nullos amplius sapere esse ANGELICOS.* vid. Aug. hæres. 39. Quid autem ineptius illâ Baronii censurâ: Paulus reprehendens, *Cultum religiosum Angelorum insectatur Cerinthianos* Et tamen non Cerinthiani Angelos adorarunt, non illi S. Michaelis Oratorium Colossis erexerunt: Sed utrumque hoc fecerunt Catholici? quippe Ecclesiâ Catholica mos fuit, in Angelorum, præsertim S. MICHAELIS Archangeli, quem Patronum novit & Protectorem ob insignia ejus ope accepta beneficia, memorias templa erigere, illosq; ut apud Deum intercederent, precari: Ita Baronius ad a. C. LX. cui certum est Colossis antiquum diguisse cultum Michaelis Archangeli ex occasione immensi prodigii (cujus memoria teste Græcorum antiquo Menologio ad d. VI. Sept.) à Principe militiæ cœlestis Michaelis ostensi. Ita sc. delirant Catholici: plectuntur Cerinthiani: atque inter illos Catholicos nolle nos censerî, publicè testamur. Honoramus reverenter Angelos: Flammâs, virtutes, excellentias, operationes Angelicas admirandas, ministeria Angelica usquequaque diffusa, Ecclesiâ in primis & in hac Electorum saluti militantiâ veneramur, & quorum choris *ἰσχυροὶ* olim optamus inseri in cœlis, illorum purissimas flammâs æmulari contendimus in terris: sed non nisi UNUM ANGELUM *Θεάνθρωπον*, Dei Filium, Dominum Deumq; nostrum adoramus, & soli ANGELO federis servimus. In hoc ANGELO stat *ἀνακεφαλαιώσις* omnium illorum quæ in cœlis & quæ in terrâ sunt, & hoc reconciliante per sanguinem crucis, PAX in terrâ, PAX in cœlis. Illo Principe cœlestis militiæ imperante, tremunt armati ANGELORUM exercitus, expromti ad ministeria, sive servandum, sive mactandum. Testis vel unus in castris Assyriorum octodecim myriadam fortissimorum bellatorum percussor Angelus, & Hiskia per illam calamitatem triumphus. Quod ergo superest exorandus ante omnia nobis est PRINCEPS exercitus DOMINI, ut nunc quoque faciat, quod olim apud Jhosuam. Deest ubique Consilium. Deest ipsis etiam JHOSUUS: Deest arcæ, castris. Suggestat SERENISSIMIS PRINCIPIBUS ACADEMIÆ, CURIÆ CIVITATIS, PROVINCIÆ MECLENBURGICÆ salutare

tare, qui suggestit olim JHESU A JHOSUÆ! Militet sub hoc
 PRINCIPE EXERCITUS DOMINI Gabriel, vel ipse quoque MI-
 CHAEL Archangelus contra turbatores Provincia Principes
 Angelos! Dispergat populos bella appetentes! Frangat portas
 Jerichuntis ferreas, æneosq; vectes, æterna publicæ pacis Concor-
 diæq; Domus Principum obstacula perrumpat, ut vel tandem ca-
 dentibus arrogantis Jerichuntis mœnibus JHOSUA Victor
 incedat. Attollat PRINCIPUM nostrorum Celsissimo-
 rum Oculos, ut ex adverso stantem stricto gladio PRINCI-
 IPEM EXERCITUS DOMINI reverenter agnoscant, ut
 an faciem suam procidentes PRINCIPEM Principes adorent,
 c promptissimam parendi voluntatem paucis vocabulis, sed ad-
 fectu prolixo testentur cum Ihosuâ prostrato sic ingeminan-
 tes: *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum, &*, postquam
 satis constat, *quid loquatur Dominus ad servos PRINCIPES scuta terræ,*
 præstent imperatum, atq; sic redeant in veteris amoris, æter-
 næq; Pacis Instrumentum. Squalent undiq; sacra pietati justiti-
 æq; loca. Perpetrantur ad aras à calceatis impune & vindice nul-
 lo, quæ si fierent apud Saracenos, animâ foret litandum. Quic-
 quid alibi corruptum per partes est, quasi confusis omnium
 gentium vitiis in nostros mores pervadit, ut non possit non
 nubibus sic coeuntibus tempestas imminere. Jacent inter
 hæc fundi calamitates Synedria; imò ipsum religionis, ubi vel
 maximè vitales Spiritus ostendere debebat, vehemens derepen-
 te deliquium patitur. Et inter hæc, ex quo, ne planè in-
 Sodomam abeamus pro temporum emendatione gemimus, &
 nec suspiria dissimulamus, in pejus magis publicam spem ruere
 experimur, nodumq; sic inexplicabilem, ut unde nexus incipiat,
 quo ve se condat, nec ratione nec visu percipere possimus. Quis
 dubitet, inter ipsos Diabolos Principem dari Angelum Mekle-
 burgicum, qui ad illius Persiæ Græciæq; Principis Angeli apud
 Daniele exemplum per nostrum nefas viribus auctis turbet
portas, & quæ in portis synedria? Vocandus in vota PRINCEPS
 EXER-

EXERCITUS DOMINI, ut vel stricto gladio, rumpat lora, nos-
dosq; latentes solvat. Et quid non, turbandis Academiae re-
bus ex stygia palude Princeps Angelus conjuratus moliretur
inter tot infensos & obnoxios, quorum sicille criminibus cre-
scit, ut nisi PRINCEPS EXERCITUS DOMINI reliquias, ut-
cunq; paucas nobis superstites servabit, propediem Sodomæ,
Gomoræq; similes futuri simus? Pendemus interea & fluctua-
mur, inter tot Ucalegontes, quia parum ἀλγούντες, & in publico
dormitantes, præterquam si quod ad æs exit. Educat *algosa*
mari, quæ amarissimam amaritudinem à Filiis patitur almam-
annosamq; Matrem Academiam PRINCEPS EXERCITUS
DOMINI, qui per siccum mare, qui diviso Jordane castra tra-
duxit Israelis, ut liceat liberatis epinicion ad litus *algosi* maris
olim decantare! Sed in Angelicis nostris apud vos, quotquot nobile STU-
DIOSORUM nomen possidetis, perorandum, qui si facitis ea, quæ vobis digna
sunt, si pietati toto pectore militatis, si officio strenue incumbitis, si quam honorifi-
cam & insignem de vestris studiis doctrinâ vitaq; expectationem sibi Ecclesia, Res-
publica, patria, Parentes polliceantur, sedulo reputatis, & mensuram nominis im-
pletis, præcipua gaudii: at si in sacris publicis sive raris ordinibus interlucetis, sive
ludicrum fœdumq; Bacchanal agitis, si in tabernis vel ante portam vel in ipsâ
Civitate ex lege Corneliâ de sicariis agitis, & sive Commilitonum, sive innoxorum
Civium sanguinem funditis, longe major doloris mœrorisq; nobis estis leges
& materia. Taciturnitatis nunc omnia velo obumbrabimus, ne per hunc Panegy-
ricum solemnem probra vestra cælo monstremus, quæ cum nulla mentis excula-
tione defendere possitis, solo fidelis respicientiæ beneficio abolere deinceps &
sanare poteritis. Curavimus, quia dissimulationi post sanctioris ordinis querelam,
inquisitionemq; publicam locus non fuit, ut simplâ, non Typographi scriptio-
ne, sub nostro tamen nomine & Sigillo vobis nuper ob oculos poneretur effigies
patratorum. Nec sive illis sive cæteris insanis facinoribus connivens Magistratus
Academicus assidebit. Nunc autem ad ANGELOS vos revocamus. Summum &
PRINCIPIS, & sub illo Principe, exercituum Angelicorum delitium in juvenibus
Academicis, si piè, si castè, si reverenter & humiliter agant. Exempla vobis in prom-
ptu David, Zacharias, quos Juvenes Sp. Sanctus afflavit, quos ipsa & PRINCIPIS-
ANGELI fœderis & ANGELORUM Schola reciprocis familiaribusq; collatio-
onibus informavit. Sed hic precibus vobis opus: opus meditatione, opus, si vultio
aliquand

aliquando, publicè utribiles evadere quodam tentationum Specimine. Habetis autem ubiq; Angelos expromptos & à latere: Precatori, scrutatoriq; Temporum felicissimorum Danieli GABRIEL contentissimus advolat & LXX hebdomadam mysterium explicat. Dan. IX. 21. Daniele mysterium propositum non intelligere valente, acclamatur à PRINGIPE exercitus Domini Gabrieli: GABRIEL, *declara Danieli hanc visionem* Dan. IIX. 16. Sedente Daniele Theologo inter Leones, adest ANGELUS cujus ipse apud Monarcham confessor: Deus meus misit Angelum suum, qui occlusit os Leonum, ut non læderent me Dan. VI. 23. Agnoscite vel præsens exemplum. Quàm ad revelari PRINCIPIS præsentiam humiliter, quàm reverenter agit Jhosua totus procidens, adorans, nec at tollere præ majestate faciem ausus! Ubi stratus humi jacer, jubetur adhuc calceum (an, unum, a n utrumq;, prout Moses ad rubum jussus, nunc non disquirinus nec in mysteriis scire fas est omnia) exuere, & sic strato discalceatoq; demum grande panditur arcanum. Agnoscite veterem mysteriorum reverentiam, & vel ad ipsum PRINCIPIS zelotæ gladium respicite, percussurum, si piaculum vobis deinceps non erit, calceato pede templorum pavimenta calcare, i.e. irreverenter, imò petulanter per varia ludicra inter publica sacra agere. Quò propiores Deo sumus, eò magis exuendi calcei. Proximi Angeli semper contemplantes faciem Patris qui in cœlis est. Sed & humilimi sunt & purissimi Angeli. Non arrogant sibi Angeli, quæ sunt solius Dei. Faciamus idem, nec nobis per insignem arrogantiam imputemus, quæ sive non possidemus, sive si tenemus, cœlo debemus. Sed nec Deo imputemus, quod nostrum nefas est, quo quidem crimine nullum familiarius, nullum detestabilius in regnis sanctoribus, dum sub gloriæ Dei, sub Zelâ divini, sub bellorum Domini titulo, ipsâ conscientia, ipso Numine teste impetrato, vehementer aliquando concionamur, scribimus, disputamus, causamq; peroramus, & latentes intus ambitionum febres, sub pietatis pallio publicamus, impetumq; Carnis & Diaboli Deo SANCTO adscribimus, adscribiq; totius Orchestræ judicio volumus, à quo quidem scelere immani tantò magis abeundum, quanto id studiosius appetit etiam cœlestibus animis sese insinuare. Ad Angelorum humilitatem, ad parvulorum innoxiam simplicitatem vel oculo dextraq; rejectis, nos vocat Servator. Sequamur vocantem! Et aliquando

erimus *ἰσοῦ γελῶσι.*

PP, Rostochij die Michaelis sub Sigillo
Rectoratus Academici.

A. c15 I3c LXV,

EXERCITUS DOMINI, ut vel stricto gla-
 dosq; latentes solvat. Et quid non, tur-
 bus ex stygia palude Princeps Angelus e-
 inter tot infensos & obnoxios, quorum sic
 scit, ut nisi PRINCEPS EXERCITUS DO-
 cumq; paucas nobis superstites servabit, &
 Gomoræq; similes futuri simus? Penden-
 mur, inter tot Ualegontes, quia parum a-
 dormitantes, præterquam si quod ad æs-
 mari, quæ amarissimam amaritudinem a-
 annosamq; Matrem Academiam PRIN-
 DOMINI, qui per siccum mare, qui divi-
 duxit Israelis, ut liceat liberatis epinicion-
 olim decantare! Sed in Angelicis nostris apud
 DIOSORUM nomen possideris, perorandum, qui
 sunt, si pietati toto pectore militatis, si officio strenue in-
 cam & insignem de vestris studiis doctrinâ vitaq; expe-
 publica, patria, Parentes polliceantur, sedulo reputatis
 pleris, præcipua gaudii: at si in sacris publicis sive raris
 ludicrum fœdumq; Bacchanal agitis, si in tabernis ve-
 Civitate ex lege Corneliâ de sicariis agitis, & sive Com-
 Civium sanguinem funditis, longe major doloris
 & materia. Taciturnitatis nunc omnia velo obumbrat-
 ricum solemnem probra vestra cœlo monstremus, quæ
 rione defendere possitis, solo fidelis respicientiæ be-
 sanare poteritis. Curavimus, quia dissimulationi post
 inquisitionemq; publicam locus non fuit, ut simplâ
 ne, sub nostro tamen nomine & Sigillo vobis nuper o-
 patratorem. Nec sive illis sive cæteris insanis facinora-
 Academicus affidebit. Nunc autem ad ANGELOS vos
 PRINCIPIS, & sub illo Principe, exercituum Angelice
 Academicis, si pie, si castè, si reverenter & humiliter aga-
 ptu David, Zacharias, quos Juvenes Sp. Sanctus afflavit
 ANGELI fœderis & ANGELORUM Schola recipro-
 onibus informavit. Sed hic precibus vobis opus: opus

t lora, no-
 demia re-
 moliretur
 nibus cre-
 quias, ut-
 Sodomæ,
 & fluctua-
 n publico
 cat *algosa*
 r alman-
 ERGITUS
 castra tra-
gosi maris
 nobile STU-
 vobis digna
 am honorifi-
 Ecclesia, Res-
 nominis im-
 clucetis, sive
 vel in ipsâ
 innoxorum
 is estis leges
 une Panegy-
 entis excula-
 deinceps &
 is querelam,
 phi scriptio-
 retur effugies
 Magistratus
 Summum &
 in juvenibus
 bis in prom-
 PRINCIPIS-
 q; collatio-
 pus, si vultio
 aliquand

